

10.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.



1640.

1. Creussel, Nicolaus: De compensatione
2. Eckholt, Amatus: De iuribus filii familias.
3. Eckholt, Amatus: De antinomias
4. Philippi, Johannes: Conclusiones ex materia ex-
hacum desumptae
5. Romanus, Franciscus: De iuribus virorum singu-
laribus.
6. Romanus, Franciscus: De potestate maritali.
7. Schacherus, Aurivius: De iudiciis.
8. Schacherus, Aurivius: De conceptione actionum
propter res.
9. Schwendendorfferus, Barth. Leonhardus: Theses iudiciale
10. Schwendendorfferus, Bartholomaeus Leonhardus: De ingra-
titudine.
11. Schwendendorfferus, Georgius Tobias: De tutore

1660.

12. Thomarius, Jacobus: De certamine praesentiae inter
regnum Electorum et successivum.

1664.

1. Cunradi, Johannes Gualterius: De feriis
2. Eckold, Amatus: Theses juris civilis in materia actorum.
3. Eckold, Amatus: De literarum obligatione
4. Hornigius, Paulus: De deposito.
5. Michaelis, Johannes: De philtis
6. Philippi, Johannes: De testamentis
7. Schmidius, Johannes: De responsibus Illustrissimorum
8. Schenken dorfferus, Bartholomaeus Leonhardus: De falso
9. Schenken dorfferus, Bartholomaeus Leonhardus: Prae-
citationes ad IV libros Festinationes Imperatorum.

W

so

un

er



891.



12

Metel, 2 14

THESES JURIDICÆ
Ex
MATERIA ACTIONUM

Quas
ANNUENTE DIVINO NUMINE

&
CONSENTIENTE MAGNIFICO ET NOBILISSIMO ꝒCTORUM ORDINE

sub
Præsidio

Dn. AMADEI ECKOLT Phil. &
J.U.D. PP. & Fac. Jur. Adfess.

Præceptoris ac Patroni ætatem colendi
publicæ disquisitioni
submittit

GODOFREDUS HERR Vratisl. Sil.

A. & R.

^{Maji}
Ad diem 30. Aprilis A. 1661.

Lipsiæ in Auditorio Ꝓctorum

Typis JOHANNIS BAUERI.



8



THESES JURIDICAE
MATERIA ACTIONUM

ANNUNTIUM DIVINO NUMINE

CONSTITUTUM ALEXANDRO ET WOLFGANGO

DOMINI AMADEI BOCKHART P. M. &

CONDICEDIS & M. S. V. S. S. S.

JOHANNES BOCKHART P. M. &





A Nimum hominis post naturæ depravationem proclivem nimis esse ad dissentiendum, & controversiam alteri movendam, nemo prudentum ibit inficias, cum hoc ipsa experientia testimoniis locupletissimis confirmet. Hinc videre est, quantâ frequentiam lites maximam verborum acerbitate serantur, quanto strepitu forum assidue exerceatur, alium asserendo rei dominium, servitutem, obligationem, alterum iterum negando, ideo ut bene constituta Reip. maximo sit emolumento, actiones & formulas esse inventas, quibus causæ possint in iudicium deduci ac finire; ne alias privati sibi ipsis jus dicant, imò rapiant, iracundiæ stimulis excitati cædes perpetrent, & sic statum Reip. reddant turbulentum. Non autem solum utilitas actionum in Remp. redundat, sed illarum quoque notitia futuro iudiciorum Athletæ maxime est necessaria, quippe qui litem eo facilius & felicius Iudici enarrare, & ille causam probe cognitam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellere, & sententiam decretoriam finire potest. Cum igitur materiam hujus cognitionem suam in hac vita palæstrâ, toto, quod dicitur, sinu effundat, pro laborum specimine thesibus hisce ut hæc inserviret, volui. Senti quidem ab initio onus æthna gravius, & quod viribus meis non est conveniens, me suscepisse, ita ut ejus gravitas à labore me pene deterrisset, sed cum perspectum habeam, illud quandoque videri grave, cujus pleniorum cognitionem quis nondum hausit, itaque vires periclitari, & pauca tantum pro ingenii tenelli modulo tradere stetit animus. Ut autem omne felici omnia succedant.

Summe Deus nostris feliciter annue cœptis

THESIS I.

Actio est jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur *pr. f. de act. l. 51. ff. de O. & A.*

ex theoricis.

Licet utilius sit rem ipsam expendere, quam nudâ verborum indagazione detineri, *arg. l. 3. §. 9. ff. de ad. m. leg.* cum tamen vix fieri possit, ut in varia & intricata vocabuli acceptione rerum penetralia possint erui, nisi verba, tanquã rerum notæ, ad exactam iudicii trutinam examinentur, ideoq; operæ precium esse duxi, si in actionis definitione vocabuli iuris significationem expendere. Varias autem illud admittere docet tot. tit. imprimis *l. pen. & ult. ff. de J. & J.* quæ cum hic adaptari nequeant, quinque aliæ à iuris interpretibus in medium proferuntur opiniones: Quidam enim jus per jus scriptum & non scriptum, quidam per formulam, quidam per rem incorporalem, quidam per facultatem seu potestatem agendi interpretantur, *moti l. 6. §. f. ff. de negot. gest. l. 20. C. eod.* Sed cum hæ sententiæ firmis rationibus non subsistant, partim etiam à doctis viris jam sint confutatæ, ideoque ulteriori confutatione haud indigebunt. Quinta, eaq; optima opinio est eorum, qui dicunt, per vocabulum jus intelligi remedium iuris, perinde ac obligatio dicitur vinculum iuris *pr. f. de oblig.* Quotiescunque enim nostra volumus retinere, vel ab aliis, etiam invitis recuperare, tunc controversiam apud Magistratum per actiones, tanquam per causam instrumentalem & remedia jure ad hoc prodita, introducimus. *Timæus Fab. Disp. 27. th. 1. l. b. Hilliger ad Donell. enucl. l. 19. c. 1. L. d. Bach. tr. de act. D. 1. §. 7.*

THESIS II.

Prædicta Imperatoris definitio tam personales, quam reales in se involvit actiones.

ex th.

Duo dantur actionum principia, Jus in re & jus ad rem, quibus natales suos debet divisio actionum, realium & personalium,

lium, quæ in *l. 25. pr. ff. de O. & A. §. 1. J. de act.* proponitur, & ex
subjectione arguit, illas sub definitione actionis generali com-
prehendi, cum utrisque definitionis finis & objectum com-
petat. Dubium autem hoc videtur, cum verbo persecutionis
tantum veniant petitiones extraordinariæ *per l. 178. §. 2. ff. de V.*
§. quæ olim nobile Judicis officium requirebant, actiones ve-
ro certis verborum formulis apud Judicem pedaneum expone-
bantur; cum vero hodie formulæ hæc plane sint sublatae *per l. 1. C.*
de formul. & act. impetr. subl. omnia quoque judicia & actiones
factæ sint extraordinariæ *§. f. J. de interd.* persequendi verbum
etiam latius pro postulando & implorando accipiatur, ideoque
nil impedit, quo minus definitio hæc personales & reales actio-
nes complectatur. *Sutholt diff. 17 aph. 19. Ludvv. Disp. 16. §. 1. l. d.*
Excludi quoque ab allata definitione videntur actiones reales,
propterea quod actionibus realibus non petatur id, quod nobis
debeatur; tum quod is in jure nostro debitor propriè dicatur,
qui est efficaciter obligatus, ita ut & ab invito exigi possit *l. 103. ff.*
de V. §. ille a. qui convenitur actione reali, neq; civili neq; natu-
rali ratione obligatus sit *§. 2. J. de act.* tum etiam, quod actionibus
realibus petantur res nostræ, id autem quod nostrum est,
non rectè deberi dicatur; attamen his non obstantibus dicen-
dum, utramque actionem tam personalem quam realem hic
definiri, modo intelligatur verbum debendi latius & improprie
hic accipi, pro eo, quod non tantum jure obligationis, sed &
quod ex jure in re debetur: Licet itaq; res nostræ, quas actio-
nibus realibus petimus, proprie nobis non debeantur, restitutio
tamen earum nobis debetur *Bach tr. de act. D. 1. §. 46. Giphart.*
Disp. jur. civil. 36. n. 16. & seq. Hillig. ad Donell. enucl. L. 19. c. 1.

THESIS III.

Inter personales & reales actiones dantur revera a-
ctiones mixtæ *§. 20. J. h. t.*

encl.
§. 1. Priusquam actionum mixtarum natura considere-
tur, sciendum illas quatuor modis dici mixtas, vel

A 3

1. ratio-

1, ratione causæ efficientis, quæ partim descendunt ex jure in re partim ex jure ad rem, & sunt actio familiæ erciscundæ, finium regundorum, communi dividundo §. 20. *l. h. t.* quibus annumeranda est hæreditatis petitio, quæ & ipsa mixta dicitur in *l. 7. C. de hæredit. petit.*

2. ratione objecti, quibus partim rem, partim pœnam persequimur. Exempla extant in §. 29. *l. h. t.*

3. ratione subjecti, in quibus uterq; litigantium & actor & reus esse potest. Dicuntur in specie actiones duplices: Tales sunt, quæ in §. 20. *l. d. t.* & *l. 37. §. 1. ff. de O. & A.* enumerantur.

4. ratione effectus, quæ quidem in se sunt personales, quia tamen contra quemcunq; possessorem ex legis dispositione, vel facto delictive alterius, ejus rei, qua de agitur, occasione competunt, & sic aliquid de natura actionum realium participant, ideo quodammodo mixtæ sunt, & vocantur in specie actiones in rem scriptæ. Tales sunt actio quod metus causa *l. 9. §. 8. ff. quod met. caus.*, actio ad exhibendum *l. 3. §. 3. ff. ad exhib.*, actio de aqua & aqua pluvia arcenda. De posterioribus vix ullum reperitur dubium; priores saltem ratione causæ efficientis satis acriter impugnant Dd. an ejusmodi dari possint? A parte negantium stant Ludov. Gomez. ad §. 20. *l. de act. n. 1.* & seq. Vultej. ad d. §. Ant. Faber 2. *conject. c. 20* Donell. ad d. §. 20. & *19. comm. c. 2. l. g. Anton. Usill. ad. §. 1. l. h. t. n. 37.* ubi Doctores insanire, mereque sibi somnia fingere dicit, qui hæc mixtas constituunt actiones. Verum cum illorum rationes tantæ non sint, ut hac in re à Justiniano contra expressa ejus verba recedendum, merito illæ sunt retinendæ. Dyn. ad §. 20. *l. de act.* Cujac. in *paratit. C. tit. famil. ercisc.* Zas. & Hotoman. ad d. §. Bach. tr. de *act. D. 2. §. 7.* & ad *Trentl. v. 1. D. 19. §. 1. l. b. Riemer. dec. 13. q. 8. Franck. exerc. 13. q. 3. Hil- lig. ad Donell. enucl. 19. comm. c. 2. l. g. Tim. Faber. D. 27. §. 2. Sutholt Diss. 17. aph. 29. & seq.*

§. 2. Hujus vero assertionis fundamentum probatur solidissimis his juris rationibus: Quæcunque actiones duplicem habent causam efficientem, nempe partim jus in re, partim jus ad rem, illæ ipsæ actiones mixtæ sūt. Sed actiones in §. 20 enumeratæ duplicem habent causam efficientem, jus in re & jus ad rem
E. Cum

E. Cum enim duo tantum dentur actionum principia jus in re & jus ad rem, quæ in his actionibus concurrunt, & in quibus agens se fundat, necesse est, ut ex istis simplicibus quædam oriatur mixtio: non formalis, & in gradu eminenti, sed materialis, & quæ ex illorum qualitatibus quædam participet, & quidem non ratione unius, sed diversorum objectorum. Sic in actione finium regundorum actor præ tendit rei dominium, & de damnis impensis præstationes personales, quæ uti notum, quasi contractum constituunt. Item in actione familiæ eriscundæ pars hæreditatis petitur, quæ petitio pro rei vindicatione est; quatenus vero simul etiam fructus & damna ejus occasione provenientia resarcienda petuntur, ex quasi contractu descendit. Idem de reliquis esto iudicium. Non vero solum hæ actiones à causa efficiente dicuntur mixtæ, sed etiam finis ac intentio duplex idem arguit. Manifestum enim est, quod in hisce actionibus actor partim rem vindicet, & suam esse dicat, partim vero sibi alterum dare oportere intendat, & sic actiones reales & personales distingvat, quod satis in exemplis superius allatis elucet.

THESIS IV.

Cum actiones arbitrariæ propriam suam habeant naturam ac rationem, firmiter hinc infertur, eas tertium constituere membrum divisionis in §. actionum autem 28. J. h. t. propositæ.

ex θ.

Quoniam quandoq; iudex laxam & liberam ex bono & æquo iudicandi habet potestatem, quandoq; illa potestas per conventionis verba maximè est restricta, hinc ex illa negotiorum qualitate resultat divisio actionum bonæ fidei & stricti juris, cui annumerandæ sunt actiones arbitrariæ, in quibus iudici ex bono & æquo arbitrari permittitur, quemadmodum actori satisfieri debeat, quæ tertium divisionis membrum constituunt, cum diversæ ab ipsis sint naturæ. Sed assertionem hanc infestare videtur, quod in actionibus arbitrariis æquè potestas iudicandi ex æquo & bono interveniat, quam

quam in bonæ fidei judiciis, & propterea ab illis minime differat; sed dicendum, quod Species inter se oppositæ possint quandoque de contraria participare, præsertim cum facultas illa judicandi bonæ fidei judiciis insit intrinsicè & ex natura negotiorum, arbitrariis vero extrinsicè & per accidens; ubi tamen notandum, quod arbitrium seu officium Judicis non sit merè extrinsicum & accidentale, neque actiones arbitrariæ sint per se subsistentes actiones, siquidem hoc non simpliciter affirmandum, cum judicis officium in his semper intercedat, sed dicitur hoc respectu actionum bonæ fidei, quibus facultas judicandi ex æquo & bono naturâ inhæret, arbitrariis verò non sed potius personæ judicis. His vero ita præsuppositis ulterius posset objici: Quoniam æquum & bonum sapius bonam fidem significat, æquum vero & bonum ac consequenter bona fides in actionibus arbitrariis est aliquid extrinsicum, sequitur ergò quòd bona fides non sit essentialis in actionibus arbitrariis. Hoc quamvis ex rationibus supra allegatis concedi possit, idem tamen cum clarissimo & summi satis ingenii viro *Bachtr. de act. D. 6. th. 6.* de actionibus bonæ fidei asserere non auserim. Utcunq; enim ratione quorundam effectuum & qualitatum jus civile illas limitet, sufficit tamen quod præcipua qualitas nimirum facultas judicandi ex æquo & bono nunquam actionibus strictis vel arbitrariis intrinsicè communicetur. *Dn. Ludovell. in comm. ad §. 28. J. de act. n. 6.* Sed ne extra oleas vagari & ex controversiæ statu elabi videar, rursus differentiam actionum bonæ fidei & arbitrarium aggredior, dicens illas latius patere actionibus bonæ fidei. Arbitrariæ enim sunt tam reales quam personales, ut & ex delicto vel quasi provenientes §. 31. *J. h. t.* aut neutra harum potest fieri actio bonæ fidei, sed tantum actiones ex contractu vel quasi sunt tales, sicuti singula exempla in §. 28. *J. h. t.* relata probant. Porro actiones stricti juris possunt fieri arbitrariæ loci adjectione, quod secus est in actionibus bonæ fidei *l. 5. & 7. ff. de eo quod cert. loc.* Deinceps in actionibus bonæ fidei totum negotium sive judicium una sententia definitiva peragitur, quod longe aliter se habet in actionibus arbitrariis: Reus enim sive arbitrio Judicis pareat, sive non,

non, semper tamen sequitur adhuc alia sententia, vel absolutoria vel condemnatoria. Denique ultima actionum harum diversitas est, quod in arbitrariis Judex judicet quemadmodum. in bonæ fidei vero quantum restitui debeat §. 30 & seq. J. h. t. Hisce perspectis differentia quoque inter actiones arbitrarias & stricti Juris erit eruenda, quæ est hæc, quod in hisce Judex ad verba conventionis ita sit adstrictus, ut nullum ejus ex æquo & bono admittatur judicium, in arbitrariis vero abunde hoc conspiciatur d. §. 31.

THESIS V.

In §. item 6. J. h. t. nulla actio alia quam Pauliana realis ab Imperatore tractatur.

ex b.

Actionem qua in fraudem Creditorum alienata revocatur, à Prætoribus quodam Paul'o esse inventam, vocarique Paulianam, satis claret ex l. 38. §. 4. ff. de usur. ideo ut nullum sit dubium, quin hic definiatur, cum Prætoribus actionibus annectatur, & sententia hæc unanimi Dd. Schola sit comprobata. Controversiæ vero cardo in eo potissimum vertitur, an realis sit & si realis. num actio hypothecaria de prætorio pignore? Quidam personale esse contendunt, tum quod cū actione personali Fabianâ connectatur, tum quod ex fraudulentâ alienatione ac delicto oriri videatur. Dn. Hahn in not. ad Wesenb. tit. de his, que in fraud. credit. n. 6. ut nodum hunc dissolvat, distinguit an alienatio à debitore fraudulenter facta sit, postquam creditores missi sunt in possessionem, an verò bonis à creditoribus nondum possessis; priori casu Paulianam realem, posteriori personalem esse contendit. Verum distinctio hæc non est ferenda, sed potius actio hæc dicenda realis, cum ex dominio ficto descendat, & creditores semper rem alienatam sive ante sive post missionem in bona persequantur. Quibus tamen verbis non hoc intendere volo, ac si ante missionem in bona Creditor hanc actionem possit intentare, siquidem adhuc nescit, an ipsi possit satisfieri, sed quod excussione factâ, illa bona, quæ debitor in fraudem creditorum

ditorum ante possessionem alienavit, metuens, ne ab ipsis distrahantur, possint repeti. *Schneidvv. ad §. 6. J. de act. n. 59.* Neq; alienatio callida facere potest, ut hæc actio fiat personalis: non enim actio principaliter ratione fraudis, sed tantum occasionali er competit. Quid quod actio hæc competat; ubi quis a debitore titulo lucrativo, bona tamen fide rem accepit? Quæ ideo in specie vocatur infactum quod detracta fraudis mentione in nudam alienationem fit concepta. *Wesenb. in paratitl. tit. qua in fraud. credit. n. 7.* Quoniam itaque actio hæc est realis, quinque vero juris in re sunt species, *Donell. ad §. 6. J. h. t.* & illum secuti *Forst. D. 3. §. 6 l. a. §. Dn. Ludvv. D. 16. §. 2. l. g.* illam ex alio & alieno fonte derivare conati sunt, putantes hic actionem hypothecariam de prætorio pignore proponi. Verum si actio hæc esset hypothecaria, esset vel Serviana vel quasi Serviana, plures enim de pignoribus non dantur; neutra vero harum est, quippe hæc in §. 7. speciali huic actioni subjunguntur. Accedit quod formula Paulianæ actionis hypothecariæ minime conveniat. His perspectis paucis quoq; disquirere operæ precium est, quibus & adversus quem, & pro qua re actio Pauliana competat. Datur autem creditoribus ex contractu vel quasi, imò etiam delicto vel quasi, cum creditor generaliter accipiatur, cui aliqua ex causa quid debetur, & pro hac actio competit *l. 11. l. 12. pr. ff. de V. S.* aliisque contra bonorum possessores debitoris, in quos alienatio fraudulenta facta est, quandoq; etiam contra non possessorem, ut in casu *l. 9. ff. qua in fraud. credit.* ad hoc ut res corporales, ut puta servitutem &c: mobiles & immobiles alienatas restituant: *Schneidvv. ad §. 6. J. de act. n. 17. 22. §. 30. Zoes. in comm. tit. de his qua in fraud. cred. n. 6.*

THESIS VI

Rerum amotarū actionem conditionis esse speciem Gajus ad edictum provinciale in libro IV. respondit *l. 26. ff. de act. rer. amot.*

Quamvis furta jure naturali sunt prohibita *§. 1. J. de oblig. qua*
ex:

ex delict. l. 1. §. f. ff. de furt. ita ut dictamen rectæ rationis turpitudi-
nem his inesse dicitur l. 42. ff. de V. S. nihilominus tamen insatiabilis
habendi aliena cupiditas hominum mentes ita occæcavit, ut hone-
state postpositâ alienis inhiare, & illa fraudulenter contrectare non
erubescat. Cum vero æquum non sit alterius ex jactura sentire
commodum l. 14. ff. de condict. indebit. à jure civili prodita est actio
furti, qua quisque suum consequi, & hæc furandi licentia ceu frenis
injectis possit compesci. Contingit vero interdum, furtum quidem
commiti, & rem in furtivam causam cadere, actionem tamen furti
minime intentari posse, sicuti præter alia exemplo nobis est mulier,
quæ divortii causâ mariti bona piceatis manibus contrectat, vel
etiam vice versa maritus uxoris, hæc contrectatio paulo meliori vo-
cabulo dicitur amotio, & hinc etiam actio, qua convenitur, vocatur
rerum amotarum, quæ est personalis, perpetua, rei persecutoria l.
21 §. 5. ff. h. t. qua agitur inter illos, qui quondam conjuges erant l. 25.
ff. eod. ad res constante matrimonio amotas repetendas. Ex hac
definitione patet illam, ex l. 26. ff. de act. rer. amot. non incongrue vo-
cari posse conditionem, cum sit personalis (omnis autem actio per-
sonalis dicitur conditio l. 25. pr. ff. de O. & A. & §. appellamus 15. §. de
act.) & ex delicto oriatur l. 21. §. 5. ff. de act. rer. amot. neq; tamen infamiam
irroget, idq; tum secundum naturam conditionum per l. 36.
ff. de O. & A. tum specialiter in hac actione propter matrimonii ho-
norem; multa quoq; habeat communia cum conditione furtiva,
præter hoc quod hæc detur in solidum, illa vero in id, quantum per-
venit. Dubitationis autem ansam suppeditare videtur, quod huic
actioni, sicut & conditioni furtivæ formula illa petendi non con-
veniat, cum alias rei meæ dominium à fure peterem. Sed & formu-
lam illam, dare facere oportere, omnibus actionibus personalibus
proprie non posse applicari, cum vocabulum dandi sæpius improprie
& abusive pro rei restitutione accipiatur. Vinn. in comm. ad §.
14. §. de act. n. 2. Accedit, quod si res non possit restitui, sed vel sit per-
empta ver deperdita, ut ejus æstimatio sit præstanda, quod eo sensu
optime vocari possit conditio. Bach. tr. de act. D. 4. §. 20. Franzk. ex-
erc. 13. §. 5. n. 31. Verum Anton. Faber apertis cœcutire videtur ocu-
lis, qui dec. 79. error. c. 7. §. seqq. clarissimum hoc Gaji in l. 26. respon-
sum infringere conatur, rationibus quidem sane futilibus, quas do-

Et refutatas vid. apud *Bach. tr. de act. D. 5. §. 10. & VVissenbach. Disp.*
π. 49. §. 9.

THESIS VII.

Si uxor post divortium res contractaverit, quin actione furti adversus eam experiendum, dubium est nullum. *ex θ.*

Actioni rerum amotarum ut concedatur locus, requiritur (1) res constante matrimonio (2) divortii causa esse amotas (3) subsecuto quoq; divortio: nam si secutum non fuerit, non datur hæc actio, sed utilis in factum de damno *l. 25. ff. de act. rer. amot. l. 2. C. eod.* Primum requisitum etiam perquam necessarium videtur: cum enim actio hæc, uti thesi præced. dictum, propter matrimonii honorem sit inventa, per divortium vero tollatur matrimonium, per consequens etiam honor matrimonio debitus sublatus censetur, & propterea si uxor post divortium res contractet, actione furti tenetur per *l. 3. pr. ff. de act. rer. amot.* Sed *VVesenb. n. 3. & illum secutus Dn. Hahn. in not. adh. t. verb. furti non actione quidem* id negant per *l. pen. ff. expilat. hered. Bachov. in not. ad VVesenb. h. t. l. c.* respondet, ideo contra uxorem non dari actionem furti, quia jacente hæreditate rerum vacantium non committitur furtum: Verum hic non subest solida consequentiæ ratio, cum de quovis, qui hæreditarias res aufert, dici possit, illum furtum non commisisse, & furti actione non teneri quia, crimine expilatæ hæreditatis, tanquã remedio extraordinario accusari potest; cur autem uxor criminis hujus, ut & furti accusari nequeat, hoc facit susceptio in societatem humanæ rei, & divinæ domus vid. *l. 4. C. expilat. hered. ex qua lege ratio l. pen. ff. eod. petenda, quæ nihil indicat aliud quam matrimonium, favore cujus turpes actiones adversus uxorem denegantur.* Hanc hoc in casu rationem etiam *Bach. d. l.* agnoscit, quam etiam probamus, alteram vero rejicimus. Neque etiam nobis quicquã facit negotii *Dn. Hahn. præ all. loc. qui pr. l. 3. ex §. seq. 2.* explicari posse contendit. *R.* hoc minime pati casuum diversitatem, nam quod in *d. §. 2.* actio rerum amotarum denegetur, illud ad duos ibidem enumeratos casus restringitur, scilicet, quod possibile quidem sit cū uxore

uxore furti agere, attamen ob reverentiã pristini matrimonii & hæ-
reditatis causã, non hac turpi actione, sed conditione furtiva agi.
Añ in *pr. l. 3.* plane de diverso agitur casu, si scilicet mulier post di-
vortium marito res auferat. Hodiernis moribus hujus actionis
exigua aut nulla reperitur utilitas, cum semper solutum debeat es-
se matrimonium, duæ autem tantum causæ sint divortii, fornicatio
& adultrium, ita ut hujus in locum actio subsidiaria in factum
& condictio sine causa successerint. *Vid. Bach. tr. de act. D. 5. §. 12.*
VVissenbach. Disp. n. 49. §. 9.

THESIS VIII.

Condictio furtiva num nativis an dativis associanda
actionibus, magnum est litigium, posterioribus
annumerandam cenleo. *ex d.*

Priusquam ad ulteriorem positionis hujus tractationẽ deveni-
am, præmittendam duxi divisionem actionum in nativas &
dativas. ut hisce præcognitis eo meliõ possit indagari veritas.
Sunt autem actiones nativæ, quæ jam habent præexistentem
materiam, ad obligationem efficacem producendam & sunt v. g. a-
ctiones reales, ut & ex contractibus vel delictis: Dativæ vocantur,
quæ quidem etiam aliquam habent præexistentem materiam, sed
non sufficientem ad obligationem efficacem pariendam. Nativis
qui conditionem hanc annumerant, moventur potissimum hac
ratione, quod ex delicto descendat, & furtum sit causa efficiens hu-
jus actionis. Verum negantium castra sequi, & ex lege dativam sta-
tuere tutius arbitror. Licet enim à parte rei oriatur ex delicto, ta-
men hæc condictio ad delictum vindicandum non est efficax, cum
actor hac actione jure Domini rem, vel re peremptã ejus æstima-
tionem vindicet. Et hinc est, quod Dd. dicunt, furtum condictio-
nis hujus esse causam sine qua non, & uti *Franzk. loquitur in comm.*
ad h. r. de condict. furtiv. n. 6. non per modum efficiendi, sed ratione
objecti. Orrur itaq; ex variis causarum figuris, i. e. diversis plurium
actionum fontibus, ex dominio scilicet, & maleficio ratione obje-
cti. Datur autem hæc condictio, interversã quidem juris ratione
& contra naturam conditionum Domino adversus non Dominũ
ejus.

eiusq; hæredes, non in quantum ad eos pervenit, sed in solidum. *l. q. ff. de condict. furt.* Ex quo iterum liquet, illam non esse ex delicto, cum actiones ex delicto rem persequantur, quantum ad hæredes pervenit, ut in actione rerum amotarum, & sic dolum compescere videantur; quod secus est in hac actione, ut & ex contractibus, quæ rem ex nostro patrimonio absentem in solidum persequuntur. Quod autem dictum, hanc conditionem dari soli domino adverso non dominum *l. 1. ff. de condict. furtiv.* hoc procedit in conditione certi, alias per interpretationem etiam porrigitur ad non Dominos, idq; vel propter inter, esse vel possessionem, ut in commodatario, depositario, hypothecario *l. 12. §. 2. &* vocatur conditio incerti. Plura hac de re qui scire desiderat adeat *Bach tr. de act. D. 4. d. 20, 21, 22, 23. & ad Treutl. Vol. 1. D. 22. d. 12. & 13. Franzk in com. ff. de condict. furtiv. V. Vissenbach in comm. π. tit de condict. furt.*

THESIS IX.

Actionem injuriarum ad palinodiam sive recantatoriam non tantum ratione causæ efficientis, sed etiam ratione finis pro civili, non criminali habendam esse principiis Juris romani magis convenit.

^{ἐπιθεσίς.}
Prius minus habet dubii, cum moribus & consuetudine sit introducta, quæ est pars juris civilis *l. 32. ff. de LL. Farinac. in pract. crim. p. 3. q. 105. n. 21. Vultej. in jurispr. Rom. c. 19. n. 53.* Posterius vero exinde elucelcit, quod hæc actio neq; ad pœnam corporalem neq; pecuniariam fisco inferendam, quod tamen finis est judiciorum publicorum, juxta gloss *in l. prator 3. & ibi Bartol. ff. de sepulcr. viol.* sed tantum ad privatum interesse nimirum honoris & famæ restitutionem tendat. Accedit quod in Camera imperiali in hac actione appellationes recipiantur, secundum *ordinat. Camer. p. 2. tit. 28. §. und sonderlich verl. doch sollen die Sachen ic.* cum tamen in criminalibus appellationi ibidem non sit locus. *dict. ord. camer. d. t. 28. §.* Item nach dem *ic. Gail. 1. obs. 1. n. 28. seq. ac de jure civili l. 6 C. de episcop. audient. l. 20. & 29. C. de appellat.* Et hujus sententiæ propugnatorem invenies *Treutl. v. 2. D. 30. d. f. & ibid. Bach. Vultej. jurispr. rom. l. 2. c. 19. n. 53. Franzk. exerc. 12 q. 8. n. 7. Petr. Theodor. in colleg. crim. D. 2. d. 20. l. d. & novissime Vinn. ad §. 20. J. de injur. n. 1. V. Vissenbach D. π.*

D. π. part. 2. D. 30. §. 21. sub f. Impugnatorem vero Robert. Marant
tr. de ordin. iudic. p. 4. dist. 1. n. 17. & seqq. Pro quo militare videntur
sequentes rationes: 1. quod cum pœna criminalis etiam illa dici
possit, quæ consistit in actus alicujus ignominiosa prohibitione
juxta l. 8. pr. junct. l. 9. pr. & §. seqq. ff. de pœn. l. f. ff. de injur. multoque
magis in impositione facti ignominiosi consistere poterit, quale est
recantatio, tum quod recantans sibi ipsi mendacii notam inurere
cogitur cū vituperio; tum propter solennitates ignominiosas, quæ
pro consuetudine cujusq; loci adhibentur, ut quandoq; collū resti
immittatur, quandoq; os propria manu percutiatur, aut carnifici
percutiendum præbeatur.

2. ratio quod reus interesse præstando non liberetur, secus ac
in aliis faciendi obligationibus l. 13. §. 1. ff. de re judic. l. 72. pr. ff. de V.
O. sed præcise ad recantationem, & quidem in persona præstandam
non admissio ejus procuratore, compellitur. Berlich. p. 5. concl. 62.

3. recantare recusans carcere coërcetur, relegatur, pane & a-
qua cibatur aut ut ejus nomine pareat, licitor vel carnifex adscisci-
tur. Magn. Dn. Carpz. prax. crim. p. 2. q. 94. n. 21. & seqq. & ibi allegatus
Berlich. Accedit.

4. quod morte injuriati etiam post litis contestationem fa-
ctam hæc actio tanquam pœnalis & famosa ita extinguatur, ut ad-
versus hæredes denegetur. Dn. Carpz. p. 4. c. 42. d. 13. Hæc itaq; fun-
damenta etsi non vulgaria videantur, attamen tanta non sunt, quin
è medio tolli possint, prout in conflictu demonstratum dabimus.

THESIS X.

Actione hypothecaria alteri cessa translata quoque
censeatur principalis actio personalis.

Inter modos varios tollendi pignora refertur quoque mutatio
personæ debitoris, cujus occasione queritur, an actione hypo-
thecaria alteri cessa translata quoq; censeatur principalis actio
personalis v. g. ut hoc per casum magis illustretur: Titius hypo-
thecæ causa Cajo cedit fundum suum, ut centum solidos ipsi mu-
tuo daret, Cajus Sempronio iterum jus hypothecæ in fundo donat,
& per consequens actionem hypothecariam in ipsum transfert,
quæ

queritur, num sic quoque transferat actionem mutui. R. quod
sic propter l. 178 ff de R. J. & l. 14. §. 6. ff. quod met. caus. ne alias cessio
fiat elusoria, is enim, qui accessorium transfert, principale quoque
transferre velle videtur, quippe cum sine principali accessorium
subsistere nequeat. Verum huic opponitur l. 2 C. de luit. pignor.
Varii varie pugnam hanc dirimere conantur. Cuiac. 5. obs. 32 Gotbo-
fredin not. ad h. l. & Zoes. in comm. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.
hanc conciliandi viam ingrediuntur l. 2. ex l. 1. eod. conjungentes hoc
modo: Debitori sub pignore duo hæredes extiterunt, singuli pro
hæreditariis portionibus tenentur, hypothecaria vero in solidum
l. 1. C. si uno ex plur. uno ex prædictis cohæredibus totum debitum
solvente tollitur quidem omni jure in eum pro parte soluta actio
personalis, hypothecaria vero manet, eaque conveniri potest pro-
pter indivisam pignoris causam l. 65. ff. de evict. Aliter solvere co-
natur Donellus, aliter glossa & Dd. aliter Bach. ad Trentl. v. 2. D. 1. §. 9. l.
a. Aliter Magir. ad l. 178. in prælect. ad rit. de R. J. qui accessorium
quandoque naturam principalis induere, atque adeo casu prin-
cipali nihilominus durare asserit, non in vim accessorii, sed suo pro-
prio jure, sicuti in casibus l. 18. §. 1. ff. de const. pecun. & l. 2. C. de luit.
pign. fieri contendit. Subjungit. Neque enim hæc utique actio-
nis sunt accessiones, sed obligationis, quæ naturaliter durat etiam
extincta actione civili alia, cujus respectu hæc actiones æque sunt
principales. Et hæc sunt, quæ hac vice proponere fuit lubentia, plu-
ra quidem hac de re potuissent subjici, numerus quoque thesium
hac de materia nobilissima augeri, verum hic pedem figo L. B.
petens, ut hac thesium decade contentus esse, ausa hæc juvenilia
boni consulere, & si quæ minus ad palatum, sicco transilire pede,
nec rigorosæ adeo censuræ submittere velit expendens
illud, qui nunquam male, nunquam bene. Inte-
rim pro præstito hoc beneficio sit

SOLI DEO GLORIA!

FINIS.

Leipzig, Diss., 1660 / 61


ULB Halle 3
005 021 650



SB

VD77





B.I.G.

Farbkarte #13

Metel, 2 14 5
70

JURIDICÆ
Ex
ACTIONUM

Quas
DIVINO NUMINE
&

MAGNIFICO ET NOBIL-
TORUM ORDINE

sub
residio
ECKOLT Phil. &
& Fac. Jur. Adseff.

atroni ætatem colendi
e disquisitioni
abmittit

S HERR Vratisl. Sil.

et R.
Maji
Aprilis A. 1661.

Auditorio 7ctorum

ANNIS BAUERI.



8

